rite ordinatus fuit et ideo eius ordinationes innocuae permanserunt. <u>Def.</u> Ipse nimirum decretalium[a] textus manifestius ostendit, quod pontifex Anastasius de illis baptizatis ordinatisque dicat, quos[a] hereticus Acatius, postquam a papa Felice damnatus est, baptizavit vel ordinavit. Similiter autem et de Liberio, qui Arriane heresi[b] subscripsit, sentiendum est. Iam vero de Vigilio quid dicendum est, qui non solum simoniacus invasor, verum etiam homicidii[a] reus, et insuper a papa Silverio iustissime anathematizatus, eundemque apostolicum patrem Silverium in exilium destinavit, et se[b] sacrilegum papam[a] instituit. Ordinationes tamen, quas fecit, nemo removere ausus fuit.

2 <u>Testimonia quae papa Anastasius contulit in defensionem[a] ordinationum, quas[a] hereticus fecit Acacius.</u> ~~Inferiori~~ Dum membra sine capite, ut praefatus sum, consistere minime possint, mirari non sufficio, qualiter ficti ordinatoris[a] ratas ~~sit~~ ordinationes efficere valeant! ~~Ceterum~~ ~~se~~

<u>Def.</u> Qualiter hoc fieri possit, predictus pontifex Anastasius probabilibus astruit documentis. Sic enim inter Cetera: <u>Secundum ecclesiae catholicae[a] consuetudinem nullum de his, vel quos baptizavit Acacius, vel quos sacerdotes sive levitas secundum canones ordinavit, ulla[b] eos ex nomine Acacii portio lesionis attingat.</u> Hinc est, quod baptismum, quod procul sit ab ecclesia, sive ab adultero vel a fure fuerit datum, ad percipientem munus pervenit illibatum, quia vox illa, quae sonuit per columbam, omnem maculam humane pollutionis excludit, qua declaratur, ~~hac~~ dicitur: <u>Hic est qui baptizat in spiritu sancto[a] et igne.</u> Nam si[b] visibiles solis istius radii, cum per loca fetidissima transeunt, nullius contactus ~~maculatione~~ inquinatione[c] maculantur[c]: multo magis illius, qui istam visibilem solem fecit, virtus nulla ministerii indignitate contingitur. Nam et Iudas cum fuerit sacrilegus atque fur, quicquid egit inter apostolos pro dignitate commissa, beneficia per indignum data nulla ex hoc detrimenta senserunt. Sic ille per quem Christus loquitur Paulus affirmat: <u>Quod ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.</u> A Deo autem non queritur, quis vel qualis praedicet, sed quem praedicet, ut invidus etiam bene Christum praedicare confirmet. Quomodo diabolus ipse deiectus est, ideo ergo et hic, cuius nomen dicimus esse retinendum, male bona ministrando sibi tantummodo nocuit. Nam inviolabile sacramentum, quod per illum datum est, aliis perfectionem suae virtutis obtinuit, ei autem obfuit. Quorundam autem in tantum se extendit curiosa suspicio, ut imaginetur prolato a papa Felice iudicio postea inefficaciter in sacramentis, quae Acacius usurpavit, egisse, ac perinde eos metuere, qui vel in consecrationibus vel in baptismate ministeria tradita susceperunt.

Marginal notes:

a) decretalis 2. 3.

~~fol 110.~~

a) quod 1.

b) quia A. heresis 1.

a) homicidiis 1.

b) si 3.

a) papa 1. 9.

a) defensione D. quam 1.

a) ordinationes 3.

a) Ita 3 et 2 qui hic desinit in ultima secundae quaternionis linea media, unde puncto post catholicae posito, reliquaque lineae spatio vacuo relicto, ita ut sequentia consulto omissa videantur. In 1 locus ita mutilatus legitur: ficti ordinatoris rata sit ordinatio. Ceterum secundum ecclesiae et reliqua.

b) nulla 3.

a) deest 3.

b) deest 1. si visibiliter 3.

c) maculatione macul: 1 cui sequentia ~~usque~~ huius capitis omnia desunt